

in ipsis Aegypti solitudinibus & desertis Monachorum portēta vixerunt, vt ille Euagrii locus docet. Horum duplex fuit dogma. 1. Hominum commercium & consortium ad vitæ æternæ facilē assequutionem esse fugiendum. 2. Spiritum sanctum esse creaturam. Ita qui hominum societate refugerunt, fuerunt in Deum ipsum blasphemi.

CAP. LXXII.

Rhetoriani cur sic dicti. Error eorum quis fuerit.

A Rhetorio¹ quodam exortam, hæresin dicit nimium mirabilis vanitatis, quæ omnes hæreticos rectè ambulare, & vera dicere affirmat, quod ita est absurdum, vt mihi incredibile videatur.

I A Rhetorio.) Quis fuerit hic Rhetorius, nusquam alibi inuenio explicatum. Est tamen hæc hæresis Apellitarum surculus, vt ex Euseb. libro quinto, capite 13. videtur colligi posse. Atque hi ipsi ab aliis, veluti à Damasceno, Lampetiani, à Lampetio quodam dicuntur, qui liberam cuique esse debere religionis, quam velit, & quam veram putat, professionem docent, quia nihil coactum aut inuitum Deo placet. Est quidem illud Epiphani in Apostolicis hæreticis dictum certissimum, οὐκ ἐπιαναγκὴς ἡ θεοσέβεια, ἀλλ' ἐκ προαιρέσεως ἡ δικαιοσύνη. quod etiam Socrates libro 3. capite 25. probat, propterea tamen non debet quodlibet humani ingenii commentum admitti, & vt δόκιμον & probus numus recipi: sed ea tantū doctrina, quæ cælestis est, & verbo Dei consentiens, audienda.